

REVERENDA DIGNITATE, ERUDITIONE EXCELLENTI, AC PIETATE spectabili Clarissimis Viris, Dn. IACOBO & Dn. PHILIPPO HEILBRUNNERIS, fratribus germanis, & Dn. TOBIÆ BRUNONⁱ, S. Theologiæ Doctoribus eximijs, & celebriorum inclyti Palatinatus Neoburgici Ecclesiarum, Aulicæ, Lauinganae & Burglengensfeldensis Pastoribus, adiunctarumque Inspectoribus dignissimis, &c. Reuerendis item ac doctiss. Viris, Dn. M. CHRISTOPHORO ZEEMANNO seniori, & M. CHR. Z. iuniori, Ecclesiarum Schvandenburgensis & Labarenfis Pastoribus vigilantissimis, Dn. Socero, Affinibus, Parenti & Fratri æternum sibi honorandis S. P. D.

Sächs.
Landes-
Bibl.

Pigh lib. 1. Eccl.
hierarch.
Georg. Gotthar.
con. Herb. p. 49.

Hieron. Apolog.
ad Domn.

Quod in præparatoriâ hac de S. Scriptura disputatione tam diu immoror, aduersariorum (nunc - Romanensium) facit peruersitas, qui vltimum causæ suæ præsidium in eâ collocant. Cùm enim experienciâ edocti norint, pessimè suis rebus inde consultum, quòd Prædecessores ipsorum cum Megalandro Luthero in Scripturarum certamen descenderint, quippe in quibus pleraque fidei suæ dogmata expressis verbis NON continentur; eapropter aliâ ipsi methodo rem aggressi ipsissimum fidei nostræ principium tantum non radicatus conuellere satagunt, dum Scripturæ auctoritatem horribiliter extenuant, libris Canonicis Apocryphos exæquant, fontibus turbidum vulgatæ versionis riuulum præferunt, nec non de Scripturæ obscuritate, imperfectiōne & insufficientiâ blasphemè declamant; hoc nimirum fine, vt ad disputationem de cæteris inter nos & ipsos controuersis dogmatis, ex Solâ Scriptura instituendam nunquam pertrahi possint. Quod suum institutum (cauteriatæ conscientiæ argumentum) Colloquio Ratisbone, proximo plus satis contestatum fecerunt; ex quo tamen ipso per Dei gratiam Orbi dudum innotuit, nihil esse, quam obrem meliorem esse causam, suam Papistæ existiment, postquam ad Iesuitas patronos peruenit. Quod etiam ex meis hysce qualibuscunque disputatiunculis quemuis æquum lectorem (liuidos enim balatrones, qui quæ non intelligunt, damnare, & non quid, sed quantum Pro & Contra inflato Spiritu dicant, ponderare solent, quis moretur?) animaduersurum spero. Vobis autem, Reuerendi, Clarissimi, Humanissimi que Viri, Patres, Affines, & Frater charissimi, quare Themata hæc offeram, geminus me instigat stimulus. Vnus est vestrorum in me meritorum cumulus, quibus me vobis sic deuinxistis, vt secundum Deum & Illustrissimum nostrum, & lucem ipsâ qua fruor, & hanc, quam hic viuo, vitam, imò totum me vobis debere ingenuè fatear. Alter stimulus est meus erga vos filialis fraternusque amor & obseruantia, quibus sic erga vos (quod Deus & vos ipsi nostis) pariter afficior, vt vos mihi charissimos proximosque in solenni hac compellatione sequestrare nec voluerim nec debuerim. Sed abiungo; vos mei, vt estis, estote; ego vester ero semper. Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi subnixè oro, vt ipse vos in Ecclesiæ suæ, mei, meorumque emolumentum diutissimè sospites conseruet. Lauingæ 8. Iunij, ipsa die Pentecostes Euangelicæ, Anno 1606,

Obsequentissimus & studiosissimus

Filius, Affinis & Frater vester

Georgius Zeeman D.